

~~CAX. 27. 01. 5~~  
42.  
Cax. 27. 01. 6

# FRAGMENTA

QVÆDAM PAPINIANI, PAULI, ULPIANI, GAIJ, MODESTINI, aliorumque veterum Iuris auctorum, ex integris ipsorum libris ante Iustiniani Imp. tempora collecta, & cum MOYSIS legibus collata.

EIVSDEM IMP. IUSTINIANI Nouellæ Constitutiones III.

IULIANI Antecessoris c. p. Dictatû de Consiliariis.

EIVSDEM IULIANI Collectio de contutoribus.

*Omnia nunc primum in lucem edita.*

Ex bibliotheca P. PITHOETIC. cuius etiam Notæ adiectæ sunt.



12-8-67



*Char. de M. Houster  
de Ramer*

LVTETIÆ,

Ex officina Roberti Stephani,

M. D. LXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS ET SENATVS.

~~Paris. 10.~~  
Num. AA. cap. 7. num. 5.

*RG 10*  
*16945*



CLARISS. ATQVE AMPLISS. VIRO  
CHRISTOPHORO THVANO CELIO,  
Equiti, Regni Curiaë Præsidi primario,  
& sacri Consistorij Senatori,  
P. Pithœus S.



*V*R has ad te veterum iuris auctorum reliquias ultro deferam, non una causa est, Præses amplissime, sed ea maxime iusta, quod quæ nonnullis fortasse contra Iustiniiani principis interdictum in lucem prolata videbuntur, eas oportuit sanctiore aliquo nomine defendi aduersus ingratis simorum hominum aut calumnias, aut ineptias, qui vel dissimulant, vel nesciunt, ab illo quidem comparationem modo & in iudicis recitatione apud suos prohibitam, nos vero Romanarum legum maiestatem sic comiter conseruare, ut tamen illis nihil in nos licere patiamur, nisi quod earum rationi & equitati non auctoritati & sanctioni concedimus. Cuius vero ad hanc defensionem augustius nomen eligi potuit quam tuum? quo demum Præside purior hæc Iurisprudencia usu fori recepta est, quique iuris nostri in summo isto Galliaë tribunali ita clauum tenes, ita regis, ut quod ille olim vir maximus, tu ῥόμα Senatus & quodammodo ἐμψυχος νόμος non immerito dici possis. Sed est & quod tu iure quodam tuo virilem tibi

ã.ij.







INCIPIT LEX DEI QVAM DEVS PRAE-  
CEPIT AD MOYSEN.



MOYSES DEI SACERDOS HAEC I.  
DICIT. *Si quis percusserit hominem  
ferro, & occiderit eum, morte moriatur.  
Sin autē manu lapide ve quo mori possit  
percusserit, & mortuus fuerit, homicida  
est: morte moriatur. Si autem per ini-  
micitiam inpulerit eum, vel in miserit super eum aliquod  
vas ex insidiis, & mortuus fuerit: vel per iram percusserit  
eum manu & mortuus fuerit, morte moriatur.*

PAVLVS quoque libro quinto Sententiarū sub  
titulo ad Legem Corneliam de sicariis & veneficis,  
dicit. LEX Cornelia pœnā deportationis infligit  
ei qui hominem occiderit, eiusque rei causa, furtive  
faciendi cum telo fuerit: & qui venenum hominis  
necandi causa habuerit, vendiderit, parauerit, fal-  
sumve testimonium dixerit quo quis perisset, mor-  
tisve causam praestiterit. Quæ omnia facinora in  
honestiores pœna capitis vindicari placuit: humi-  
liores verò aut in crucem tolluntur, aut bestiis subii-  
ciuntur.



PETRI PITHOEI I. C.

NOTAE.

**NAVDIERAM** equidem antea fuisse ex priscis criptoribus aliquem qui cum Moysis legibus Romanas contulisset: ac memini Io. Tilium antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Iuriscōsultorum reliquiis sermo esset, narrare solitum, habuisse aliquando se eius operis fragmenta pauca, quibus ille Licinnij Rufini nomen tribuebat, an ex coniectura, an potius ex veteris libri fide non satis scio. Illud affirmare liquet quæ nunc damus ex antiquissima Sequanorum aut Mandubiorum potius bibliotheca in qua per annos octingētos & amplius latuerunt, non esse Licinnij Rufini cuius nomine ad Iulium Paulum in libris nostris cōsultatio inscripta est: ac, ut quod sentio, dicam, non fuit tanti hæc collectio quæ aut Licinnij aut Jurisconsulti alicuius paulo clarioris ingenium & acumen desideraret. Tota illa operæ fuit, sed eius operæ cuius precium iniuria temporis sic incendit, ut iam nihil fortasse hoc genere tanti videatur. Nam ut concedamus plures veteris iuris P. R. regulas vnius Vlpiani Titulis contineri, sane & illi præterquam quod ab his nostris nomen suum partesque mutuantur, vnius, ut ita dicam, genii notiorisque sunt, nec tam perspicue repræsentant quid Tribonianus quid collegæ in excerptis digerendisque & huius & aliorum scriptis sibi concesserint. Quæ de re in eo tractatu quem de libris vtriusque iuris pridè delineauimus, plenius differemus. Nunc de collectore huius libelli, cuius nomen titulumque exemplar ipsum prioribus duabus paginis purum nõ prætulit, hoc tantum dicere possumus, videri eum Theodosii iunioris temporibus vixisse, & post consulatum quidem ipsius x v. quo demum Codex editus legitur, ex quo hic constitutionem retulit vnam, non omissurus, ut verisimile est, de homicidio non voluntario Valentiniiani singularem legem si tū quoque edita, aut in certum Nouellarum corpus redacta fuisset. Sed de re incerta nihil temere affirmare velim. Illud potius mirer, cur hic idem illam de impudicis legem non ex Præfecturæ Urbanae scriniis, sed ex Theodosiano Cod. pleniorē recitat quam hodie in corpore ipso extet quod hæc quidem parte pro integro eiusdem Tiliij beneficio hætenus habuimus. Cæterum quod ad nos attinet, in horum editione veteris libri scripturam bona fide expressimus, retentis etiam leuioribus mendis si quæ varias coniecturas reciperent, quibus ne in ora quidem exemplaris locum dedimus ut sua cuique libera diuinatio liberumque